

§. VI.

Quamuis vero libenter demus, ideo, quia apta & indubia ratio, loca nostra ad consensum redigendi, inuenta nondum sit, negari non debere, id fieri posse, quod factum nondum nouimus, tamen ante omnia de hac re despiciendum erat, quum alias adferentibus nobis, dissentire a se PAVLVM & POMPONIVM, promptior dari non poterat responsio, quam factum id esse, de quo, an fieri posset, nos desperaremus. Caeterum, nec monentibus nobis, vident intelligentes & periti harum rerum aestimatores, quantum iure sperandum sit in hoc genere, vbi frustranea fuit tantorum virorum diligentia, doctrina, ingenii vis, quantos ius nostrum nactum est interpretes. Sed, vt magis appareat, non sine caussa nec temere aut negligenter & parum curiose nos desperasse, exponere placet paulo vberius, quantum scilicet instituti ratio & breuitas permittit, cui saepius diximus nos impense studere, caussas, quibus inducimur ad credendum, verum hic esse dissidium ICtorum veterum, & irreconciliabilem contrarietatem eorum, quae effati sunt. Quam quidem curam vel TRIBONIANO nostro nos debere intelligimus. Neque enim difitemur, latere in nostra, de dissensu POMPONII & PAULLI, sententia tacitam ipsius accusationem de neglecto notissimo illo IUSTINIANI Imperatoris praecepto, quo contraria & pugnancia in Digesta recipere, expresse prohibebatur. a) Neque vero veremur, tantam pro eo militare

a) Vid. L. I. §. 8. C. de veteri iure enucl.